

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Incarnatio m cum uariis

Tria opera tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostre carnis, ita mirabiliter singularia et singulariter mirabiliter, ut talia nec facta sunt, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quidem sunt ad inuicem: Deus et homo, mater et uirgo, fides et cor humanum. Verbum enim anima et caro in unam conuenere personam, et hec tria unum, et hoc unum tria sunt, nec in confusione substantie sed in unitate persone. Hec est prima et superexcellens mixtura. Secunda est uirgo et mater utique et admirabilis et singularis; a seculo non est auditum quod uirgo esset que peperit, quod mater esset que uirgo permansit. Tercia est fides et cor humanum, et hec quidem inferior sed non minus forsitan fortis. Mirum enim quomodo cor humanum hiis duobus fidem accommodauit, quomodo credi potuit quod Deus homo esset, quod uirgo fuerit que peperisset. Sicut ferrum et testa iungi non possunt, sic hec duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum spiritus Dei. Et hec quidem mixtura excellens, secunda excellentior, sed tertia excellentissima.

Bernardus sermone X.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

mirabiliter] mirabilia P V¹ V² L¹ L²; sunt] sint P V¹ V² L¹ L²; sint *om.* P V¹ V² L¹ L²;
conuenere] conuenire P V¹; quod] et P V¹ V² L¹ L²; credi] credii (*cor. sub lin.*) C; esset] et
add. C; peperisset.] peperisset? V² L¹ L²; misceat] misceatur L²; spiritus] scilicet *add.* P V¹
V² L¹ L²